Reverendissimo in ~~Chro~~ Christo Domino
Domino Nicolao Vero Episcopo Numburgensi
Domino et Patrono suo observando

S. Valde mihi grata fuit V. Ex: consolatio in hoc
meo gravissimo luctu et maerore meo, ac scio hoc
ideo fieri divinitus, ut fides nostra et patientia
probentur et exerceantur. Ac sane haec tempora satis
multa, dura et tristia tum publica, tum privata
afferunt exercitia, quod si adhuc maiora nobis
sustinenda erunt, ut Vestrae Ex: literae, et ipse
rerum praesentium status nobis significare et por-
tendere videntur, orandus est ~~Deus~~ is, ut qui haec onera
imponit, det quoque vires, ut haec ferre possimus.
Quod ad libros vestros attinet, curabo ut cum
collecti fuerint per Quaestorem Universitatis, ad vos
perferantur. Ego adhuc hic Mersburgi vere
in exilio versor, cum omnino solus relicta uxore
et liberis Wittenbergae. Spero autem me brevi
missionem impetraturum, deinde [illegible] ferentis
ad Calendas Martij ad veterem sedem Musarum
Wittembergam me conferam, quam Scholam

et Ecclesiam profecto propter multas et graves cau-
sas prius deserendam, quoque in his bellorum
tumultibus et incendijs divinitus servatam pristino,
ut inde sicuti antea propagetur vera doctrina Christi.
Legi gravissimam querelam vestram de oppressione
Germaniae, et labefactata authoritate Septemvirorum
Electorum, penes quos antea Imperij dignitas erat.
Tales sunt vicissitudines rerum et imperiorum,
et hanc cladem merita est patria nostra propter
ingratitudinem erga lucem Euangelij. Ego quoque
quotidie ingemisco et expecto adventum Magni Dei
et liberatoris nostri Iesu Christi. Neque aliam
spem et consolationem video, quam in ipsius glo-
rioso adventu. D. Philippus scribit Episcopum
Tridentinum legatum Imperatoris reversum a Pon-
tifice et afferre responsum, Pontificem permissu-
rum ut habeatur Concilium, sed ipsum velle
tamen esse gubernatorem sicuti antea. Sed agant
isti quicquid velint, nos servemus et propagemus
nostri Conditoris doctrinam, quam per filium Dei,
Prophetas et Apostolos edidit, et ipsorum sanguine

sunt confirmatae, propter quarum confessionem
si etiam noster sanguis nobis auxilio Dei effun-
dendus est, quid nobis contingere foelicius posset,
quam esse in numero eorum, qui vitam suam
pro veritate Christi profuderunt. Neminem autem
in his regionibus audio qui velit mutatam eam
doctrinam, quae hactenus in Ecclesiis nostris so-
nuit, sed eam adhuc omnes uno ore confiteri
et perpetuo servatam cupiunt. Precabimur
igitur patrem Domini nostri Jesu Christi,
ut etiam in cruce et persecutionibus huius confes-
sionis animum largiri et conservare velit.
Usque usque alios patres audiamus, quam eos ipsos
de quibus tu scribis, Christum nempe, et Apostolos
ac prophetas, qui Spiritu sancto gubernante
ipsorum corda et linguam Dei verbum nobis
patefecerunt.
Cum haec scribo afferuntur literae quae significant
sororem Imperatoris D. Mariam et neptem
ex sorore, coniugem Electoris Pfaltzgravii venisse
ad prandium ad Illustrissimum Principem nostrum

Electorem Augustae sua sponte non vocatas,
et illi attulisse Evangelium ac laetissimum nun-
cium de ipsius liberatione, quae brevi futura sit.
Quae si vera et ad vos allata sunt, valde miror
quod tam laeti nuncii nos non feceritis participes.
Quum de re si quid certi habetis, rogo ut nobis commu-
nicetis. Poterunt autem V. E. literas
Norimbergam ad M. Sebastianum Steidanum
mittere, facile sine ullis sumptibus, huc cum-
mitti. Precor autem deum nostrum Jhesum
Christum ut V. E. Ecclesiae suae et nobis omnibus
diu servet incolumem. Mersburgi 11 Januarii
1548

V. E.

Io: Georgius Maior.